



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccata multa possunt in Missarum celebratione committi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## 424 Missæ celeb. pecca.

*Peccata multa possunt in Missarum celebratione committi.*

**M**issæ celebratio tot potest habere omissionis peccata annexa, quot sunt requisita ad celebrationem Missæ. Et illa quidem, quæ manifesta sunt omnibus: puta quod celebrans sit ieiunus: quod adfint vestes sacræ necessariæ: quod altare consecratum saltem portatile, quod calix, patena, & alia huiusmodi, transeunda puto.

Tacendum autem non est multorum crimen, valde intolerabile circa immunditiam corporalium & vestium sacrarum, damnatam non solum à canonico iure: extrà de custod. euchar. sed etiam à naturali iure: quum dedeceat immunditia huiusmodi etiam prophanos: & illimet non vterentur sudariolis ita immundis, nec ad mensam.

Scire quoque decet celebrantes, quod tota communio reputatur pro vno actu. Et propterea si particula aliqua hostiæ inter sumendum ablutionem post partem ablutionis assumptam sumitur, à ieiuno sumitur: quia mensæ reliquiæ cum mensa computantur: vt latius disseruimus in nostro primo quotlibeto. Si contingat quoque inaduertenter aliquid omitti ex necessariis ad celebrationem, non est iudicandum mortale: quoniã formaliter & per se non est ommissio voluntaria, nisi fortè inaduertentia sit adeò culpabilis, vt redeat ommissio in naturam sui criminis.

*Peccatum molliciei diuersimodè considerandum.*

**M**ollicies triplex est, & semper mala. Pro quanto namque est defectus oppositus perseverantiæ (quo scilicet homo adeò est deditus delectationibus, vt non solum à contristantibus sed à tollentibus delectationem